

VII. Semper discere , nec tamen unquam invenire , in quo cor solide acquiescat , indicium præbet animi meris erroribus distracti ac misere decepti . Divina enim veritas rite percepta & agnita certam reddit mentem , nec finit fluctuare . *Qui recipit testimonium Christi , obsignavit , quia Deus verax est , Joh. III, 33.*

VIII. Licet & veri Apostoli & falsi homines capiant , *Luc. V, 10. II. Tim. III, 6.* id tamen inter utrosque discriminis intercedit , quod illi virtute verbi divini ac *demonstratione spiritus & potentie* animos convincunt , *I. Cor. II, 4. 5.* hi *inanibus verbis seducunt* , *Eph. V, 6.* illi non sibi capiunt , sed Christo , *I. Cor. III, 5. 6. 7. 21. 22. 23;* hi , utcunque a se amolianter , suo vel ventri vel gloriæ capture illa serviant , *Rom. XVI, 18. Phil. II, 21:* illi captos in veram filiorum Dei libertatem vindicant , hi semper captivos ducunt vinculis errorum , peccati , aut *ωδοσεων* humanarum : illi non imperium sibi sumunt in populum , Christi peculium , *I. Petr. V, 3.* hi , miseros homines sibi obnoxios durissima sæpe servitute & tyrannico imperio premunt .

IX. Si omnes , qui Evangelicam veritatem profitentur , doctores pietatem seriam pari studio colerent & exemplo demonstrarent , quod Petrus exigit I. c. & Paulus *I. Tim. IV, 12. Tit. II, 7. 8.* forte minus attenderet populus ad *μόρφωσιν εὐσεβίας* quæ commendat hæreticos & in admirationem rapit inassuetos . Certe majori successu errores doctrinæ impugnaremus , si nulos in vita nostra adversarii possent exprobrare ; qui nulla re fortius setuentur , quam quod assidue clamitant , non hæresin , sed pietatem sub illo nomine oppugnari ab hostibus pietatis .



Coll. diss. A. 4, misc. 25